



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Qvæstio XXVI. De hoc quod Christus dicitur Dei & hominum mediator in
duos articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

& alix res similes ordinari non ad significandum, *Ap* petrabat, quando in crucis figura manus ad coelum leuabat. Ita enim in e-pretantur locum Exod. 17. Nazianz. orat. 6. coram Gregor. Nyssen. Prosper. lib. de praedictionibus & promissionibus Dei, part. 1. capit. vlt. August. in orat. de quinque haereticis cap. 2. Chrysost. orat. 2. ex decem Graecis, quae nondum Latinae factae sunt. Vnde sanctus Marcial. epist. ad Burdegalem, tom. 1. Bibliot. sanct. Crucem, inquit, semper mente, ore, & signo tenete, crux enim Domini armaturam suam est.

Ex quibus etiam colligitur superstitiose errasse Armenos, qui crucem non adorabant, nisi prius in ea clauum infingerent, eamque baptizarent, & postea alterum lignum ab altero separarent, & separatim adorarent. Hoc enim totum superstitiosum est. Quia neque clauus, neque baptismus, necessaria sunt ad rationem imaginis, & si separatus vnus lignum ab alio, iam non manet ratio imaginis. De quo vide Euthy. 2. p. Panopl. titul. 20. circa med. & S. Nicon. in lib. de religione Armenor. tom. 1. Bibliot. sanct. & plura apud Alan. dialog. 4. praecipue cap. 11. ubi explicat legem Theodosij, qui prohibuit, ne crux depingeretur in pavimento.

SECTIO III.

Vtrum liceat vti signo crucis in modum ceremoniae sacrae.

In crucis signo, & vti quanta utilitas, & religio.
August.
RES Pondetur, hoc crucis signum, eiusque vsum multis rationibus religiosum esse, fidelibusque vtilissimum. Haec est certa veritas fidei, quam vniuersalis Ecclesiae consensus, & ratio fide illustrata euidenter ostendit. Primo enim vsum signi crucis, quaedam est Christianae fidei professio. Vnde August. Psalm. 141. exponens illa verba. *In via hac, qua ambulabam.* Vique adeo, inquit, de cruce non erubescio, ut non oculo lauo, sed in fronte eam ponam: insultet ille crucifixus Christo, videam ego in frontibus Regum crucem Christi. Prohibetur ergo hoc signo, Christi crucem amplecti, & illius virtute sanctificari, muniri, & defendi. Secundo, hinc factum est, ut in omnium sacramentorum administratione, signum crucis adhibeatur, ut Dionys. tradit cap. 4. 5. & 6. de Ecclesiastica Hierarch. & Augustin. sermon. 181. de tempore capit. 3.

Dionys.
August.
Chrysost.
Hieronym.
Lactant.
Nazianz.
Niceph.
Tertio virtutem habet contra demones, ut Chrysostom. tradit homil. 21. ad Popul. Crucem, inquit, fronti imprime, sic enim necesse est diabolus ledere poterit. Idem homil. 55. Matth. vnde Hieronym. epistol. 1. ad Eliodor. Inius, inquit, est hostis, expedite rudentes, vela suspendite, crux antennae figatur in frontibus. Et Lactant. libro. 4. de vera sapientia cap. 27. dicit, hoc signum terrori esse demonibus, eosque de corporibus obsessorum fugare. Vnde Nazianz. orat. 3. num. 19. & Nicephor. lib. 10. histor. cap. 3. refert, cum Iulianus apostata quibusdam demonum terroribus afficeretur, ex veteri consuetudine contra suam perfidiam, & voluntatem, signo crucis se signasse, demonesque fugauisse. Ex quo intelligi potest hanc crucis efficacitatem, non in sola deuotione, & merito operantis, sed potissimum in diuina ordinatione propter meritum Christi, eiusque honorem fundatam esse. Compelluntur enim diuino imperio hoc signum reuereri, & ad illius praesentiam contremiscere, nec solum fugiunt, quia illud odio habent, ut Gentiles obiecebant apud Lactant. loco citato: sed potius ideo odio habent, quia virtutem eius sentiunt, ut eleganter docuit Aug. lib. 8. 3. quaeft. 7. 9. Vbi de sacramentis, & signis sacris Christianorum in genere loquens inquit. Nec mirum est, quod haec signa valent, cum ab eis (id est a malis Christianis) adhibentur: quando etiam, cum usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt propter honorem tamen excellentissimi Imperatoris valent.

Crux Christi armatura fidelium.
Eadem ratione, & modo valet hoc signum crucis ad impetrandum aliquid a Deo. In cuius figuram Moyses oratio tunc a Deo populi victoriam im-

petrabat, quando in crucis figura manus ad coelum leuabat. Ita enim in e-pretantur locum Exod. 17. Nazianz. orat. 6. coram Gregor. Nyssen. Prosper. lib. de praedictionibus & promissionibus Dei, part. 1. capit. vlt. August. in orat. de quinque haereticis cap. 2. Chrysost. orat. 2. ex decem Graecis, quae nondum Latinae factae sunt. Vnde sanctus Marcial. epist. ad Burdegalem, tom. 1. Bibliot. sanct. Crucem, inquit, semper mente, ore, & signo tenete, crux enim Domini armaturam suam est.

Quinto hinc factum est, ut ex bonorum omnium fidelium consuetudine, signum crucis ad suas actiones praemittant. Sic Cyrill. Ierosolymit. catechesi 4. & 13. In omni negotio, comedens, bibens etiam signa te fronte. Hieronym. epistol. 22. ad Euloch. de custodia Virginitat. Ad omnem actum, ad omnem incrementum manus pingat crucem. Similia habet Tertul. lib. de Corona militis cap. 4. Origen. lib. 3. in Iob. col. 12. dicit, Cibum, & potum signo crucis esse benedicenda. Hanc denique inter traditiones non scriptas refert Basil. lib. de Spirit. sanct. c. 27. & Anastas. Nicen. lib. quaeft. sacrae Script. quaeft. 59. tom. 6. Biblio. eamque contra Iulianum defendit Cyrill. libro. 6. circa principium.

Sexto denique reperiri possunt in hoc signo omnes imaginum vtilitates, conseruat enim passionis Christi memoriam, fiduciam indicat: est grati animi significatio, & ostendit, qui illo vitur se in cruce Christi gloriori. Et eadem est de ceteris vtilitatibus ratio.

Ex quibus facile intelligitur, hoc signum esse venerabile, & adoratione dignum, habet enim vltimam, & significationem sacram. Nec refert, quod in materia, seu actione transeunt confluatur, quia sola diuersitas materiae, quando figura, & significatio est eadem, adorationem non impedit. Vnde modus huius adorationis iuxta ea, quae de imaginibus, & de nominibus sacris diximus, explicandus est.

QVÆSTIO XXVI.

De eo, quod Christus Mediator Dei & hominum dicitur, in duos articulos diuisa.



*E*nde considerandum est de hoc, quod dicitur Christus Dei & hominum mediator.

Et circa hoc quaeruntur duo.

Primum vtrum esse mediatorem Dei & hominum, sit proprium Christo.

Secundo, vtrum hoc conueniat ei secundum humanam naturam.

HANC quaestionem addidit hoc loco D. Thomas solum, ut hanc mediatoris appellationem explicaret. Breuiter autem eam expedit, quia licet nomen diuersum sit: res tamen quae per illud significatur, non est alia ab ijs, quae in superioribus explicata sunt. Et ideo de re hac specialem disputationem non instituemus, sed solum D. Thom. litteram explicando, propriam huius vocis significationem, & vsum ostendemus.

ARTICVLVS I.

Vtrum esse mediatorem Dei & hominum, sit proprium Christo.



D primum sic proceditur. Videtur, quod esse mediator Dei, & hominum, non sit proprium Christo. Sicut enim Iacobus 5. ait. Ita & propheta videtur esse mediator inter Deum & homines: secundum illud Deut. 33. Ego illo tempore sequar, & medius inter Deum & populum.

vos. Sed esse Prophetam, & Sacerdotem, non est proprium Christo. Ergo nec esse mediatorum.

2. Præterea, illud quod conuenit Angelis bonis & malis, non potest dici esse proprium Christo. Sed esse medium inter Deum & homines, conuenit Angelis bonis, ut Dionysius dicit, 4. cap. de Diuin. nomin. * conuenit etiam Angelis malis, id est, demonibus: habent enim quadam communia cum Deo, scilicet, immortalitatem, quædam cum hominibus, scilicet, quod sunt animo passus, & per consequens miseri: ut patet per Augustinum in 9. de Ciuitate Dei *. Ergo esse mediatorem Dei, & hominum non est proprium Christo.

3. Præterea, Ad officium mediatoris pertinet interpellare ad unum eorum inter quos est mediator pro altero. Sed Spiritus sanctus, sicut dicitur Roman. 8. Interpellat pro nobis ad Deum B gemitis inenarrabilibus. Ergo Spiritus sanctus est mediator inter Deum & homines. Non ergo est proprium Christo.

Sed contra est, quod dicitur 1. ad Timotheum. 2. Vnus est mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.

b Respondeo dicendum, quod ad mediatoris officium proprie pertinet, coniungere & vnire eos, inter quos est mediator. Nam extrema vniuntur in medio. Vniri autem homines Deo perfectiue quidem conuenit Christo, per quem homines sunt reconciliati Deo, secundum illud 2. ad Cor. 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Et ideo solus Christus est perfectus Dei & hominum mediator, in quantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit. Vnde cum Apostolus dixisset Mediator Dei & hominum homo Iesus Iesus, subiungit. Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Nihil tamen prohibet aliquos alios secundum quid dici mediatorem inter Deum & homines: prout scilicet comparantur ad vniorem hominum cum Deo dispositiue, vel ministerialiter.

Ad primum ergo dicendum, quod propheta & Sacerdotes veteris Testamenti, dicti sunt mediatorem inter Deum & homines dispositiue, & ministerialiter, in quantum scilicet prænuuciabant, & præfigurabant verum, & perfectum Deum, & hominum mediatorem, Sacerdotes vero noui Testamenti possunt dici mediatorem Dei & hominum, in quantum sunt ministri veri Mediatoris, vice ipsius salutaria sacramenta hominibus exhibentes.

Ad secundum dicendum, quod angeli boni, ut Augustinus dicit in 9. de Ciuitate Dei, * & non recte possunt dici mediatorem inter Deum & homines. Cum enim vtrumque habeant commune cum Deo, & beatitudinem, & immortalitatem, nihil autem horum cum hominibus miseris, & mortalibus, quomodo non potius remoti sunt ab hominibus, Deo, coniuncti quam inter virosque medij constituti? Dionysius * tamen dicit eos esse medios, quia secundum gradum naturæ sunt infra Deum, & supra homines constituti: & mediatoris officium exercent, non quod principaliter, & perfectiue, sed ministerialiter, & dispositiue. Vnde Matth. 4. dicitur, quod accesserunt angeli, & ministrabant ei, scilicet Christo, Demones autem habent communem cum Deo immortalitatem, cum hominibus autem miseriam: ad hoc enim se interponit medium demon immortalis & miser, ut ad immortalitatem beatam transire non sinat, sed perducatur ad miseriam immortalem. Vnde est sicut malus medius, qui separat amicos. Christus autem habuit communem cum Deo beatitudinem, cum hominibus mortalitatem, & ideo ad hoc se interposuit medium ut mortalitate transacta, & ex mortuis faceret immortales (quod in se surgendo monstrauit) & ex miseris beatos, vnde nunquam ipse decepsit. Et ideo ipse est bonus mediator, qui reconciliat inimicos.

Ad tertium dicendum, quod Spiritus sanctus cum sit per omnia Deo equalis, non potest dici medius, vel mediator inter Deum & homines, sed solus Christus, qui licet secundum diuinitatem equalis sit Patri, tamen secundum humanitatem minor est Patre, ut supra dictum est. Vnde super illud ad

Galat. 3. Christus est mediator, dicit Gloss. *. Non pater, nec Spiritus S. Dicitur autem Spiritus sanctus interpellare pro nobis, quia ipse interpellare nos facit.

26. Aprilis
Implicita
habetur in
gloss. ord. ibi

COMMENTARIUS.

Vo in hoc titulo continentur: alterum est, an Christus sit mediator: alterum, an præter illum sint alij mediatorem. Indicat autem S. Thom. distinctionem mediatoris, scilicet perfectiue, & dispositiue seu ministerialiter. Et respondet, solum Christum esse mediatorem perfectiue, seu perfectiue: præter eum vero, esse alios ministros, qui dispositiue seu imperfectiue, & per quandam participationem dici possunt mediatorem.

b Pro cuius doctrinæ intelligentia aduertendum est, nomen mediatoris in propria significatione, quæ D. Tho. hic vsus est, esse nomen non substantiæ, sed muneris & officij. Proprie enim mediator dicitur, qui inter duas personas intercedit, ut eas aliquo modo coniungat, vel in aliquo pacto, aut negotio consentientes efficiat. Interdum vero vsurpatur nomen mediatoris ad significandum substantiale medium, seu vinculum inter duas, & extreme distantes substantias. Et hoc modo dici potest Christus substantialis mediator Dei, & hominum, quia in eo humana, & diuina natura substantialiter coniunctæ sunt: ut loquitur Chrysost. hom. 7. in 1. epist. ad Timotheum. & Chrysost. 1.

Ambrosius in eadem epistolam cap. 2. exponens illa verba: Vnus Deus, vnus mediator Dei, & hominum; homo Iesus Christus Iesus. Et ad eundem modum August. lib. 9. de Ciuitate Dei. dicit Christum fuisse medium, non solum ratione substantiæ, quia fuit Deus, & homo; sed etiam ratione status, quia simul beatus, & mortalis fuit. Vnde ibidem subdit, bonos Angelos non esse medios inter nos, & Deum, quia immortales sunt, & beati; Angelos autem malos quodammodo esse medios, quia immortales sunt, in quo cum Deo conueniunt, & miseri, ac penitus subiecti, in quo nobiscum aliquo modo communicant. Quamquam alia ratione considerando, & ampliando hanc mediatoris, seu potius medij significationem, Angeli beati etiam dici possint mediatorem inter nos, & Deum, quia natura inferiores sunt eo, nobis autem superiores, & cum illo communem habent naturam spiritus, & incorruptionis, nobiscum vero rationem creaturæ indigentis diuina gratia, & influxu, ut hic D. Thom. ad 2. docuit exponens Dionys. 4. c. de diuin. nomin.

Omissa vero hac substantiali mediatione, quæ impropria est, munus mediatoris (si generatim loquamur) latissime patet: proprie tamen sic significat eum, qui inter personas dissidentes intercedit, ut eas inter se conciliet. Quod varijs modis fieri potest, scilicet rogando, intercedendo, conditiones, seu leges amicitie proponendo, ac denique satisfaciendo parti læsæ, & ipsam reconciliationem, & amicitiam perficiendo.

Ex quibus intelligitur primo: solum Christum esse perfectum mediatorem inter Deum, & homines. Dissidebant enim inter se, & tota natura humana erat Deo inuisa, & inimica; ipse vero pro illa Deo satisfecit, & quæcum in ipso est, inimicitias abstulit, amicitiamque perfecit, & hic est sensus Pauli. 1. Tim. 2. dicens, Christum esse vnicum mediatorem Dei, & hominum: ut recte D. Tho. hic exponit, & idem intendunt Chrysost. & Ambrosius & alij expositores in illum locum. Quamquam, quia ad exercendum hoc perfecto modo mediatoris munus necessarium fuit humanum, & diuinam naturam in se substantia- liter copulare, ideo vtramque rationem mediatoris, scilicet substantiæ, & officio dicti Patres inter se coniungunt, & alteram ex altera pendere docent. Et eodem fere modo loquitur Augustinus citato loco, August.

Aaaa 3

C. 5 non
multum
procul à
primis.

Lib. 9 c. 8.
tom 5.

Lib. 9. c. 14.
c. 15. à medio
tom 3.

Loco citato
in arg.

Chrysost. 1.
Ambrosius
August.

D. Thom.

1. Tim.

D. Thom.

August.

Fulgens.
Cyril.
Epiphani.
Hilar.

& Fulg. de Fide ad Pet. c. 2. & Cyril. dialog. 1. de Trin. A
non longe à principio. clarius lib. 12. Theaur. ca. 10.
Epiphani. in Ancor. Hilar. lib. 9. de Trin. in princip.

Vnde etiam constat hanc rationem, vel munus
mediatoris idem omnino esse in præsentia materia
cum munere Redemptoris, quod in Christum per-
fectissime conuenire, ipsiusque proprium esse, supra
factis ostensum est: cum de Christi satisfactione, &
merito ageremus. Et ideo plura hoc loco addere non
est necesse. Et ad hoc munus etiam mediatoris spe-
ctant, quæ de Christi oratione, & pro nobis interces-
sione diximus. Nam in hoc etiam perfectissimam ra-
tionem mediatoris habuit: Accedit enim per semetipsum
ad Deum ad interpellandum pro nobis. Huc denique spe-
ctant, quæ de illius sacerdotio, & potestate ad feren-
das leges diximus. Nam quatenus summus sacerdos
est, pro hominibus est constitutus in ijs, quæ sunt ad
Deum, quatenus vero est legislator proposuit nobis
conditiones pacis, & fœderis, ac media necessaria, ut
amicitiam cum Deo ineamus: propter quod Malac-
3. dicitur Angelus testamenti, & ad Heb. 9. & 12. Media-
tor noui testamenti appellatur.

Malach. 3.
Heb. 9. & 12.

Secundo colligitur ex dictis, quamquam hæc per-
fecta ratio mediatoris Christi sit propria, quamdam
tamen participationem eius, seu mysterium tam
Angelis, quam hominibus communicari. Et hoc
modo alios etiam posse mediatores appellari. Nam
sicut Christus est lux vera, quæ illuminat omnem homi-
nem & nihilominus ipse dixit discipulis suis: vos estis
lux mundi; & sicut ille est pastor bonus & verus ma-
gister, & tamen alios constituit Doctores, & Pasto-
res: ita ipse est mediator perfectus, & nihilominus a-
lios vult esse mediatores, vel ut Paulus vocat adiu-
tores. 1. Cor. 3. Hoc igitur modo Angeli sancti dici pos-
sunt mediatores inter nos, & Deum. Primo quidem,
quia pro nobis orant, nostrasque orationes Deo offe-
runt. Secundo, quia nos custodiunt, & à malo auer-
tunt, & ad bonum aliquo modo disponunt, ut con-
stat ex c. Tobie 12. Daniel. 10. Pf. 90. Zach. 1. Matth.
18. Apo. 8. & ita loquitur Diony. 4. c. de diuin. nomin.

1. Cor. 3.

Tob. 12.
Dan. 10.
Pf. 90.
Zach. 1.
Matth. 18.
Apo. 8.
Apo. 5.

Deinde Sancti etiam beati, & cum Christo regnan-
tes, possunt aliquo modo dici mediatores nostri,
quia pro nobis orant, & intercedunt, nostrasque ora-
tiones Deo representant, iuxta illud Apo. 5. Habentes
phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes
Sanctorum. De quare, quoniam propriam disputati-
onem requirit, alius erit commodior dicendi locus.

Ioan. 4.
& 17.
Bernard.

Solum est hic obseruanda differentia inter Chri-
stū, & alios Dei deprecatores. Nam ipse per seipsum
accedit, alij per ipsum, eiusque merito nixi, & fundati:
quia nemo venit ad Patrem nisi per me ipsum. Ioan. 4. nec
petere debet, nisi in nomine eius, Ioan. 17. Et propter
ea dixit Bernard. in ser. super illa verba, Signum magnū
apparuit in celo, esse Virginem mediatricem, ad me-
diatorē ipsum. Denique sacerdotes, & ministri Chri-
sti, dici possunt aliquo modo mediatores, quia in-
tercedunt inter Deum, & populum, & homines di-
sponunt, eisque applicant Christi redemptionem tan-
quam mysteriorum Dei dispensatores, & hoc modo
Moyse dicitur medius inter Deum & populum, Deu. 5.
vbi hic exponit D. Tho. ad 1. & eodem modo dicitur
ad Gal. 3. Lex data per Angelos in manu mediatoris, scilicet
Moylis, ut sentit Cyril. Alex. lib. 13. Thec. c. 10. in-
dicat. Greg. Naz. orat. 6. coram Greg. Nyf. Et iuxta
hæc interpretandus est Aug. 2. lib. contra Parmen.
c. 8. vbi negat Paulum, vel Apostolos esse mediato-
res, sed solum Christum. Intelligit enim de media-
tore perfecto: non excludit tamen ministros, qui dū
pro Christo legatione funguntur, ut homines Deo
reconcilient. 2. ad Cor. 5. secundarij, seu ministeria-
les mediatores dici possunt, ut diserte docuit Cyril.
Alexand. lib. 12. Thec. ca. decimo. Et ex his lo-
cutiones etiam argumentorum relin-
quuntur expositæ.

Deu. 5.
D. Thom.
Gal. 3.
Cyril. Alex.
Greg. Naz.
August.

2. Corint. 5.

Utrum Christus secundum quod homo; sit mediator
Dei & hominum.



D secundum sic proceditur. Videtur, quod
Christus non sit mediator Dei, & hominum, sed
secundum quod homo. Dicit enim Aug. 2. in 2. d. 4. c. 1.
lib. cont. Fel. cianum: Vna est Christi persona,
nec mediatoris dispensatione submotus, aut Dei tantum dicitur
tur, aut hominis filius, sed non est Dei & hominis filius secundum
dum quod homo, sed simul secundum quod Deus & homo. Et 1. d. 4. c. 1.
go neg. dicendum est, quod sit mediator Dei & hominum se-
lum secundum quod homo.

2. Præterea, sicut Christus, in quantum est Deus, conuenit
cum Patre & Spiritu Sancto, ita in quantum est homo, con-
uenit cum hominibus. Sed propter hoc, quod in quantum est
Deus, conuenit cum Patre & Spiritu Sancto, non potest dici
mediator, in quantum est Deus: quia super illud. 1. ad Timot.
2. Mediator Dei & hominum, &c. dicit Glossa. In quantum
est Verbum non mediatur: quia aequalis est Deo, & Deus aequalis
Deum, & simul vnus Deus. Ergo etiam in quantum est homo, li-
potest dici mediator, propter conuenientiam quam cum ho-
minibus habet.

3. Præterea, Christus dicitur mediator in quantum recon-
ciliat nos Deo: quod quidem fecit auferendo peccatum, quod
nos separabat à Deo. Sed auferre peccatum conuenit Christo
non in quantum est homo, sed in quantum est Deus. Ergo
Christus, in quantum est homo, non est mediator, sed in quan-
tum est Deus.

Sed contra est, quod August. dicit * in lib. 9. de Cinit. Dei. c. 9. c. 1.
Non ob hoc mediator est Christus, quia est Verbum: maxime non per hoc
quippe immortale, & maxime beatum Verbum longe est à finem
mortalibus miseris: sed mediator est secundum quod homo.

a. Respondeo dicendum, quod in mediatore duo possumus
considerare. Primo quidem: rationem medi; secundo officium
coniungendi. Est autem de ratione medi, quod dicitur ab vitro-
que extremorum: coniungit autem mediator per hoc, quod ea,
quæ vnus sunt, deferat ad alterum. Neutrum autem horum
potest conuenire Christo, secundum quod Deus, sed solum se-
cundum quod homo. Nam secundum quod Deus, non differt à Pa-
tre & Spiritu Sancto in natura & potestate domini. Nec et-
iam Pater, & Spiritus Sanctus aliquid habent quod non sit
fili;: ut sic possit id, quod est Patris vel Spiritus sancti, quasi
quod est aliorum, ad alios deferre. Sed virtus que conuenit ei,
in quantum est homo: quia secundum quod est homo, differt &
à Deo in natura, & ab hominibus in dignitate & gratia &
glorie. In quantum etiam est homo, conuenit ei coniungere
homines Deo, præcepta, & dona Dei, hominibus exhibendo,
& pro hominibus Deo satisfaciendo, & interpellando. Et ideo
verissime dicitur mediator, secundum quod homo.

b. Ad primum ergo dicendum, quod si subtrahatur diuina
natura à Christo, subtrahetur per consequens ab eo singularis
plenitudo gratiarum, quæ conuenit ei, in quantum est vni-
genitus à Patre: ut dicitur Ioan. 2. Ex qua quidem plenitudi-
ne habet, ut sit super omnes homines constitutus: & propin-
quius ad Deum accedens.

Ad secundum dicendum, quod Christus secundum quod
Deus, est per omnia aequalis Patri: sed etiam in humana na-
tura excedit alios homines. Et ideo secundum quod homo po-
test esse mediator, non autem secundum quod Deus.

Ad tertium dicendum, quod licet auctoritatis peccatum
auferre conueniat Christo secundum quod est Deus, tamen sa-
tisfacere pro peccato humani generis conuenit ei, secundum
quod est homo. Et secundum hoc dicitur Dei & hominum me-
diator.

COM.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Tho. Christum non posse dici mediatorem ut Deum, sed ut hominem, quod satis dilucide in articulo probat. In cuius expositione plura hoc loco dicere non oporteret, nisi corrigendi essent hæretici huius temporis, qui imperite satis de Christo mediatore loquuntur. Quidam enim ex eis affirmant humanitatem fuisse mediatricem. Alij diuinitati, vel Christo, ut Deo hoc munus tribuunt: ut referunt Canis. li. 1. de corruptel. verb. Dei in processu, & Robert. Bellar. to. 1. controu. li. 1. de Christo mediatore, ubi fuit contra hos hæreticos disputat. Si tamen præ oculis habeantur principia supra posita, q. 16. de communicatione idiomatum, non oportebit hoc loco immorari, sed veras propositiones colligere, quæ ex dictis principiis facile elici possunt.

Primo ergo dicendum est, hunc hominem Christum esse mediatorem Dei, & hominum. Hæc est de fide, ut patet ex dictis artic. præc. & habetur expressè 1. ad Tim. 2.

Secundo, hinc sequitur absolute, & simpliciter concedi posse, & debere Verbum, & Deum esse mediatorem Dei, & hominum: quia quod absolute dicitur de homine Christo, dicitur per communicationem idiomatum de Verbo, & Deo præsertim, ubi nihil est, quod repugnet, ut reuera contingit in hoc prædicato. Mediator. Deniq; Verbum & Deus absolute dicitur Redemptor, & Pontifex noster, & pro nobis suum sanguinem effudisse, ut in superioribus sæpe dictum est, & satis expresse habetur Act. 2. 1. ad Cor. 2. ad Philip. 2.

Tercio dicendum est, eum, qui est mediator, & exercuit opera mediatoris, esse Deum hominem, ita ut principium quod talium operum sit Deus, seu hic homo, formale autem principium quo exercuit opera mediatoris, sit humanitas. Hæc est mens D. Tho. hic & omnium Theolog. in 3. dist. 19. & August. locis statim citandis. Et probatur facile prior pars, nam in Christo ratum est una persona diuina, quæ est Deus & homo, sed esse mediatorem est proprium munus persone, quia illius est operari tanquam principium quod. Deinde supra variis locis, præsertim quæst. 1. artic. 2. late ostensum est, non potuisse Christum esse perfectum Redemptorem, & satisfactorem, nisi esset diuina persona, à qua valor satisfactionis, & perfecta iustitia originem traxit, sed hoc idem est munus perfecti mediatoris, ergo. Altera vero pars probatur præter rationem D. Thom. quia actiones mediatoris, quæ sunt mereri, satisfacere, sacrificium offerre, interpellare, dicuntur habitudinem ad personam superioris nature, & voluntatis: ergo formale principium talium operationum non potest esse diuinitas, ut in superioribus etiam ostensum est: ergo formale principium, per quod conuenit Christo munus mediatoris, non potest esse diuinitas, sed humanitas.

Quarto, consequenter fit, neq; diuinitatem, neq; humanitatem in abstracto posse dici mediatorem seu mediatricem. Probatur, quia neq; diuinitas, neq; humanitas meretur, nec satisfacit. Item neutra illa-

A rum supponit pro persona, quæ est Deus & homo: humanitas præterea per se non est sufficiens ad munus mediatoris, quia per se non potest satisfacere Deo de rigore iustitiæ: cum ex vi suæ significationis dignitatem personæ diuinæ non includat: diuinitas vero nec proprie est principium quod, nec quo operum mediatoris, ergo in rigore, & proprietate sermonis non potest dici mediator.

Quinto, Deus, aut Verbum, in quantum Deus non potest dici mediator, ut recte hic D. Tho. docet cum Aug. lib. 10. confess. c. 43. & ser. 11. de verbis Apostoli, & lib. 2. de gratia Christi. cap. 28. Quibus locis ad hoc comprobandum ponderat, ideo Paul. 1. ad Timo. 2. dixisse: *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, ut indicaret Christum non Deum, sed ut hominem esse mediatorem. Et ratio ex dictis est aperta: nam quæ conueniunt Christo, per humanam naturam, non possunt dici de Christo, aut Deo cum reduplicatione, seu determinatione diuinitatis, quia hæc ipsa reduplicatio contrarium significat, scilicet, tale prædicatum in diuinitate, seu per diuinitatem ut per formam Christo conuenire, ut in dicta quæst. 16. ostensum est.

Sexto hinc concluditur, Christum ut hominem, vel ut hunc hominem, includendo hoc suppositum in humanitate subsistens, esse mediatorem. Quod ex dictis satis constat.

b Indicat autem D. Thom. in solut. ad 1. breue dubium, scilicet an concedi possit, Christum in quantum Deum hominem, esse mediatorem. Et non respondet in forma, sed solum ait, cum Christus in quantum homo dicitur esse mediator, non excludi consortium diuinitatis ab humana natura, quia alias excluderetur gratia vnionis, ratione cuius humanitas habuit, ut potuerit esse principium operationum mediatoris. Ex hac vero doctrina colligitur propositionem illam habere convenientem sensum, & esse concedendam. Quia non est sensus illius, diuinitatem, & humanitatem esse formale principium harum operationum, sed dignitatem Dei, & naturam hominis necessarias fuisse, simulque conuenisse ad munus, & opera perfecti mediatoris: vnamquæque tamen modo sibi proportionato, naturam ut formale principium satisfactionis, & meriti: personam vero ut radicem, & fontem infiniti valoris, & dignitatis talis satisfactionis, & meriti in perfecto mediatore necessarij. Quo sensu dixit August. hom. de ouibus cap. 12. in tom. 9. Mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, homo cum hominibus, non mediator homo præter deitatem, non mediator Deus præter humanitatem: diuinitas sine humanitate non est mediatix, neque humanitas sine diuinitate, sed inter humanitatem solam, & diuinitatem solam, mediatix est humana diuinitas, & diuina humanitas. Quæ posteriora verba minus propria sunt, & per priora sunt explicanda, abstractis enim vocibus, pro concretis vititur. Et propter eandem causam, dixit Leo Papa: *Si non esset Deus, non afferret remedium*, &c. Quæ cum multis aliis late supra tractauimus, q. 1. art. 2. Hæc igitur de Incarnatione ad incarnati Verbi, & augustissimi matris eius gloriam dicta sunt.

Dubium
Responsio

Augusti

Leo Papa

F I N I S,

